

venerari dinoscimur, presentis et eterne felicitatis augmentum nobis speramus multipliciter vendicare. Tunc etiam decus regalis eminentie multipliciter attollitur, cum devotis et subiectis suis et in iusticia facilis exhibetur et in gratia liberalis. Ad venerabilem igitur fratrem Phylippum^a Eystetensem episcopum, qui per eximie devotionis insignia, grata ac fidelia servitia nobis et imperio transactis temporibus et nunc diebus istis illustri Iohanni regi Bohemie^b carissimo primogenito nostro in terra Bohemie non absque fatigationibus expensarum laudabiliter impensa regie serenitatis munificentiam sibi et eidem Eystetensi ecclesie liberalem et gratiosam constituit, favoris plenitudinem convertentes opidum Gredingen in pago Norkovve^c, quod cum omnibus utilitatibus, honoribus et iuribus suis ad ecclesiam Eystetensem per instrumenta et documenta valida, bona et sufficientia informati pertinere cognovimus ab antiquo, reddimus cum universis utilitatibus, honoribus, iuribus ac pertinentiis ipsius, venationibus, piscationibus, nemoribus et aliis attinentiis suis, quocumque vocabulo nuncupentur, et restituimus ac liberum perpetuo remanere volumus episcopo et ecclesie supradictis et, ut nostra, conthoralis nostre carissime preclare Margarete Romanorum regine, liberorum ac progenitorum nostrorum vivorum et mortuorum memoria devotioribus obsequiis ibidem perhenniter^d celebrior observetur, dictum opidum Gredingen cum omnibus utilitatibus et attinentiis suis de novo donamus ecclesie prefate de plenitudine regie potestatis tenendum et possidendum deinceps pacifice et quiete. Nulli ergo omnino hominum, cuiuscumque status, dignitatis, conditionis existat aut offitii, liceat hanc nostre restitutionis ac donationis gratiam infringere vel ei in aliquo contraire. Quod qui facere presumpserit, mille marchas^e argenti puri componet, medietatem camere nostre et aliam medietatem solvendam episcopo et ecclesie supradicte. In cuius rei testimonium presentes litteras conscribi mandavimus et nostre maiestatis sigilli robore communiri cum testibus subnotatis, qui presentes aderant in premissis, videlicet venerabilibus Baldevvino^f Treverensi^g archiepiscopo, Theobaldo Leodiensis, fratre Heinrico Tridentin., aule regalis cancellario, et Aymone Gebennensis ecclesiarum episcopis, magistro Heinrico de Geldonia cano-

a) B: Philippum. b) B: Boemie. c) B: Norkowe. d) B: perhenniter. e) B: marcas. f) B: Baldewino. g) B: Trevirensi.